



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses**

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Calvinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

Argumentum Capitis II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39447**

aut ea propriè facere existimetur, quæ Scriptura eum facere primo aspectu ait, non occulta esset Dei iustitia, sed manifesta turpitudine, Dei bonitati intrinsecæ sic aduersa, ut tam Deum negare quàm hoc de Deo asserere liceat: quod pulchre ostendit D. Basilius in homilia de hoc argumento. Ita Beza quam impietatem claris verbis asserere non audet, eandem tamen obliquè fouere & tueri non erubescit.

### *Argumentum Capitis II.*

**I**NGREDITUR Apostolus communem accusationem Gentilium, qui iudicabant Iudæos legem suam non seruantes. Deinde & Iudæos de lege non seruata arguit: concludens neque ex lege scripta, nec ex lege naturæ, quempiam iustificari posse sine fide in Christum. Interim veram iustitiam operum à Deo mercedem accipere, & veros factores legis à Deo iustificari, disertissimè docet.

2. *Scimus quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.*

**A**Nte omnia docere Apostolus vult, veram bonorum operum iustitiam à Deo flagitari, quia omnem iniustitiam iusto iudicio punit. Interim valet hic locus contra imputatiuam hereticorū hodie iustitiam, qua



quæ docent, hominibus in statu peccati, & <sup>Impunita</sup> perpetuò peccantibus, idque ex rei veritate <sup>iustitia</sup> mortaliter peccantibus (quia interveniale & mortale respectu iudicij diuini nullum discrimen ponendum esse affirmat Calvinus) imputari Christi iustitiam per fidem; & peccatores haberi iustos coram Deo. Destruitur quoque ex his verbis eorum imputatiua peccatorum remissio quam ponunt, docentes manere in baptizatis concupiscentiam vt peccatum, sed non imputari. *Iudicium enim Dei secundum veritatem in eos qui male agunt, nec habet pro iustis qui peccatores sunt, nec peccatum quod manet sustulisse dici potest.*

4. *An diuitias bonitatis eius, & patientia, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

**D**ocet hic locus cooperationem liberi <sup>Liberi arbitrij cū gratia Dei cooperatio.</sup> arbitrij cum gratia, quam semper negat Calvinus. Paulus enim docet, Gratiam & auxilium conuersionis multis sufficienter offerri quos efficaciter non conuertit, qui ipsi per duritiam cordis sui gratiæ sufficenti, & quæ efficax fieri poterat, liberè resistunt, vt de Iudæis Stephanus dixit, *Vos semper Spiritui Sancto resististis: & ad eisdem Christum, Quoties volui congregare vos sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & nolulistis! Isti secundum auaritiam suam & impœnitens cor thesaurizabant* <sup>Mat. 23.</sup>



zabant sibi iram Dei, quæ postea erupit, eversa per Romanos Hierosolyma. Istos benignitas Dei, το χρησον τη θεω (quæ infra cap. II. *seueritati* De iopponitur, ideoque gratiam & misericordiam significat) ad pœnitentiam adduxit: id est, ideo data est vt adduceret, nisi illi per duritiam suam restitissent. Isti denique grauissimè peccarunt, hac Dei benignitate abutentes. Atqui nullum fuisset abusus diuinæ gratiæ peccatum, si vel voluntariè & liberè gratiam Dei non repulissent; vel talem gratiam non repulissent, cum qua de facto cõuerti potuissent. Alioqui si etiam illam gratiam accipiendo, seu eius ductum sequendo, eique consentiendo, non fuissent conuersi, mansissent in peccato absque sua culpa; saltem absque hac magna duritia & impœnitentia qua tantam Dei iram thesaurizabant. Nunc autem sua maxima culpa manserunt in peccato. Restiterunt ergo libera electione tali gratiæ, quæ eos ad pœnitentiã adducere poterat, siue quæ ad conuersionem illorum fuit ex se & per se sufficiens. Vide Origenem lib. 3. de principijs, capite 1. & August. serm. 88. de tempore, & Ludouicum Molinam de concordia liberi arbitrij cum gratiæ donis, quæst. 14. art. 13. disp. 12. & quæst. 23. art. 4. & 5. disputatione 1. num. 9. & disputatione 3.



## 6. Reddet unicuique secundum opera eius.

**P**erspiciuè hîc Apostolus docet, ex illo recto Dei iudicio esse apud eum certam mercedem operum tam bonorum quam malorum (quam in solis malis hæretici agnoscunt) ut ex his verbis disputat S. August. *epist. 47. de gratia & lib. arbit. cap. 8.* alijsque multis in locis. Vide opus nostrum de Iustificatione lib. 10. cap. 3. & 5. & Promptuarium Catholicum in Domin. Septuagesimæ, ad illa verba: *Voca operarios, & redde illis mercedem suam.* Merita bonorum operum. Matt. 20.

Theodorum Bezam hæc verba turbarunt. Acriter igitur contra bonorum operum mercedem disputat, quam disertissimè hoc loco Paulus affirmat. Hominis dementiam aperire operæ precium est. Ego (inquit) contra colligo, In annot. in hunc locum. quod disertè aiunt David & noster Apostolus *infra cap. 3. vers. 20.* Ergo ex operibus suis nullus hominum iustificabitur. Sed in illis verbis nihil contra bonorum operum iustitiam doceri, eodè loco *infra* ostendetur. Addit: *Equis enim adferet hæc opera, quibus vitam æternam perfolui dicit Apostolus? An homines non regenerati? Atqui reuelatur ira Dei aduersus omnes homines, quia omnes peccauerunt. Nugator dementissimus id quærit, de quo nemo Christianus vel per somnium cogitauerit. Addit: An filij Dei? At ne Abraham quidem habet de quo gloriatur coram Deo, ut *infra cap. 4. vers. 2.* ostendimus. Respondeo,*



deo, hoc Beza ostendere non posse, ut in  
frā docebitur, eodem in loco. Concludit:  
*Ergo vnus Christus hæc adferet, factus nobis nimirum iustitia & iustificatio, quem quidem sola fide apprehendimus.* Hæc ille. Sed hoc spectrum Bezanum suis in locis refutatum dabimus. Christus factus est nobis iustitia & sanctificatio, quia per Spiritum gratiæ suæ nobis impartitum vtriusque causa efficiens est. Deinde si solus Christus illa opera adferet, quibus vitā æternā perfolui hîc dicit Apostolus, non debuisset dicere, *Reddet vnicuique secundum opera sua;* sed, *Reddet vnicuique secundum operâ Christi.*

Beza cō-  
mērius  
textum  
Pauli pe-  
nitens im-  
mutat.

Alius  
Pauli lo-  
cus à Be-  
za cor-  
ruptus.

Sed putat Beza se omnem operum bonorum retributionem, quam disertissimè Apostolus hîc affirmat, euertere posse, quia dicit alibi Apostolus, *Quis enim dedit illi prior, & retribuetur ei?* infra cap. 11. Sed ipsemet Beza optimè nouit hæc Pauli verba de alia retributione loqui, quàm de qua hîc Paulus loquitur. Ait enim eo in loco Beza, *obseruandū esse hunc locum aduersus eos qui fidei vel operum præuisionem faciunt electionis causam.* Rectè sanè. Sed hoc in loco Paulus Deum retribuere vnicuique secundum opera sua dicit quoad præmium & mercedem vitæ æternæ, non quoad electionem & vocationem primam. Prima Dei ab æterno electio & in tempore vocatio, sic prior est omni opere humano, & sic præuenit omnes in benedictione, ut  
hac in



hac in parte nemo sit illa prior vt retribuat  
 ei; id est, vt electionem suam vel vocationē  
 primam per modum retributionis accipiat.  
 Cæterum electis & vocatis, & vocationem at-  
 que electionem suam per bona opera certam fa-  
 cientibus (vt Petrus loquitur) fit retributio 1. Petr. 9.  
 gloriæ secundum opera cuiusque, sicuti acci-  
 pientibus in vacuum gratiam Dei fit re-  
 tributio pœnæ iuxta opera cuiusque. Ita  
 vtraque Pauli verba vera sunt, quia etsi in  
 speciem contraria, de diuersa retributione  
 loquuntur. Sed hæc est hæreticorum hodie  
 impudentissima pertinacia; Scripturis diui-  
 nis ipsorum dogmati apertissimè repugnan-  
 tibus, iudicium suum submittere nolunt;  
 verum, alijs Scripturis perperam intelle-  
 ctis, ipsas inter sese Scripturas committere Hæretici  
 Scripturas  
 committunt.  
 contendunt.

Sed sensum Catholicū verba in Paulo se-  
 quentia euidentissimè confirmant. Nam post  
 sententiam generalem, hac distributione  
 vtitur: *is quidem qui secundum patientiam boni  
 operis gloriam & honorem & incorruptionem que-  
 runt, vitam aternā, supple tribuet: is autem qui  
 sunt ex contentione, & qui non acquiescunt verita-  
 ti, credunt autē iniquitati, ira & indignatio, supple  
 tribuetur.* Boni quippe operis mercedem  
 Deo remuneratori tribuit: mali operis sup-  
 plicium iustitiæ diuinæ maluit tribuere quàm  
 Deo punienti. Sed ad hæc quid Beza? Pri-  
 mum cauillatur, de illis in quibus fides opera-

E tur



Bezz ca-  
nillum  
impudē-  
tissimū.  
tur Apostolum hoc non loqui. Et quare? Quia  
(inquit) de illis nondum differuit. Sed hoc est  
vna impudentia aliam austruere. An enim boni  
operis patientia esse potest in alio quàm in quo  
fides operatur?

Sed esto. Demus hoc impudētia Bezanæ.  
De quibus ergo loquetur Paulus? Ait: Super-  
est ergo ut eos alloquatur Apostolus qui Christo non-  
dum per fidem sunt insiti. Isti verò quæ bona opera  
proferunt? Planè nulla quæ ad vitam æter-  
nam conferunt, de quibus Paulus loquitur.  
Quid ergo? Si nec de illis in quibus fides ope-  
ratur, Paulus loquitur; nec de illis qui fide  
carent, hoc loqui potuit; de quibus tandem  
aut quomodo hæc verba Paulum dixisse pu-  
tabimus? Hoc absurdum Beza perspexit; sed  
quomodo saluat, videamus. Ait: At enim si  
tales nulli sunt, quales hic describit Paulus, cur hoc  
profert? An ut vanam aliquam ideam proponat?  
Minimè verò, sed ut hac proposita conditione salutis,  
omni ex parte quoad hominis vires ac facultates  
& ἀδυναμίᾳ impossibili, omnes sua ipsorum iustitia  
spoliatos ad eum adducat, à quo vno per solam fi-  
dem apprehenso, gratis iustificentur: ut ipse difertè  
concludit infra cap. 3. vers. 20. 21. &c. Quid po-  
tuit dementius dici? Paulus docet retribu-  
tionem bonorum operum, quia nulla talia  
sunt; & ut omnes doceat hoc impossibile  
illis esse, ut bene per fidem operentur. Eadem  
responsio omnes Christi conciones Euan-  
gelicas de varijs pietatis præceptis subuer-  
tet

Demen-  
tissima  
textus  
Paulini  
deprava-  
tio.



ret; & quicquid rectè fieri iussit, ideo ius-  
 sisse censendus est, quia quum à nobis præ-  
 stari nequeant, ab illo pro nobis præstanda  
 dimittamus. Præcepta sanè bonorum ope-  
 rum ad Christum nos adducunt, vt quod so-  
 lis naturæ viribus præstare non possumus,  
 per eius imploratam gratiam præstemus: sed  
 ideo dari præcepta, quia nulla ratione præ-  
 stari possunt, quid nisi ridiculum planèque  
 dementem eum esse probet qui præcipit?  
 Deus autè qui præcipit rectè faciendâ, ideo  
 haud dubiè præcipit, vt fiant; sed fides docet  
 quomodo fiant. *Ideo iubet lex* (ait S. Augusti-  
 nus) *vt admonet quid faciat fides: id est, vt cui iu-*  
*betur, si nondum potest, sciat quid petat: si autè con-*  
*tinuè potest, & obedienter facit, debet etiam scire*  
*quo donante possit.* Hæc ille. Quòd autem ait  
 Beza suam sententiam ab Apostolo concludi  
 infra cap. 3. vers. 20. &c. peregregiè illū men-  
 tiri eodem loco ostendemus.

Præcepta  
 legis quo  
 modo ad  
 Christum  
 adducit.

De Spiri-  
 tu & lit.  
 cap. 13.

13. *Non enim auditores legis iustificabuntur apud  
 Deum, sed factores legis iustificabuntur.*

**D**ocet hîc Apostolus non quidem quòd  
 sola legis mandatorum obseruatio iu-  
 stificat ante fidem vel absque fide (quo sensu  
 cap. 4. negat Abrahamâ ex operibus legis iusti-  
 ficatum esse coram Deo) sed quòd per fidem  
 iam iustificati, vel certè per fidè Deo in lege  
 iubenti credentes, (tales enim sunt *auditores  
 legis* de quibus hîc loquitur Paulus, qui au-  
 dientes

Opera  
 iustificati,



dientes credūt, & in lege peccauerūt, quia, quod crediderunt, opere nō prætiterūt) per opera & obseruationem legis aut magis iustificatur, aut completam iustitiam consequuntur, quæ per fidem nisi inchoata fuerat. Priorem sensum sequitur S. Augustinus in lib. de Spiritu & lit. cap. 26. Posterior sensus literæ Apostolicæ magis in hære videtur, & placet Chrysostomo alijsque Græcis. Planè enim docere Paulus vult, Iudæos, quum essent auditores legis, & omnia crederent quæ lex diceret, non propterea saluari & iustificari, eo quòd legem non seruauerunt. Moxque hac in parte Gentiles Iudæis præponit, qui absque lege scripta, per solâ legē naturæ magistrâ, ea quæ lex etiâ scripta iubet (quandoquidem quicquid decalogus præcipit, excepto solo Sabbati præcepto, lex etiâ naturæ docet) opere præstabant. Quare obiter hîc interponit, quòd factores legis iustificabûtur coram Deo: nō vt doceat Gentes seruantes legē sine fide iustificari, sed vt doceat Iudæos audientes legē & credentes, sine obseruatione legis nō iustificari. Quæ Apostoli disputatio iustificationē ex operibus legis in fide factis manifestē probat. Sed illam luculentius S. Iacobus explicauit, vt eo in loco dicitur.

Dicit tamen in hunc locū Calvinus: *Qui hoc loco abutuntur ad erigendâ operū iustificationē, etiam puerorum cachinnis sunt dignissimi. Solent caudidici impudentes & effrontes, quū ma-*  
lam

In comment. in hunc locum.



lam causam bonis rationibus tueri non possunt, aut quem luculento aduersarij argumento premi se vident, ipsum argumentum cachinnis excipere, aduersario stuporē obijcere, contra hominis cæcitatē & ignorantia plenius buccis declamitare. Sed apud prudentem iudicem adeò hoc causidici impudentis causam non promouet, vt eam vel maximè lædat. Certum enim habet in probatione nebulonem deficere, quando ad cõuitia & maledicta eum conuerti videt. Idem de Caluino quilibet æquus lector censebit. Luculentissima sunt Apostoli verba. Operum iustificationem ita docent, vt non solum *factores legis iustificari* affirmant, verum etiam *auditores legis apud Deum iustificari* negent; vbi nõ solum operum iustitiam Apollolus ponit, sed & solius fidei iustitiam tollit. Solius quippe fidei iustitia est, audire legem & credere, sed eam nõ facere, nec ad eã faciendam astringi, vt ipse Caluinus alibi definit. Nunc hoc totum argumentũ, & qui eo vtuntur, *puerorũ cachinnis dignissimos*, impudenti vsus audacia, proclamat Caluinus. Atqui & Augustinus, & Chrysostomus, & omnes veteres tã Latini quã Græci, in suis ad hunc locum commentarijs, operum iustificationem ex hoc loco collegerunt. Hos omnes quasi in forum productos puerorum cachinnis explodendos exponit Caluinus. Nec Apostoli verba per se clara & luculenta, nec disputatio eius

E 3 perspi-

Caluini  
impudentia.

Instit.  
lib. 2.  
cap. 11.



perpiciua, ( qua Iudæos coram Deo non iustificari ostendit, quia legem, quam vera dicere credebant, opere non complebant ) nec veterum Patrum consensus aliud amplius apud Calvinum possunt, quam *res puerorum cachinnis dignissima.*

Audiamus tamen tantæ impudentiæ causam si quã adfert, & quo fucō illam palliare contendit. Hoc tantum ( inquit ) valet præsentis sententia. Si ex lege iustitia queritur, impleri legem oportere: quia in operum perfectione posita est legis iustitia. Et paulò post: *Urget apud Iudæos Apostolus legis iudiciũ, quod nõ possunt per legẽ iustificari, nisi legem impleant, si transgrediantur, paratam mox illis maledictionem.* Dupliciter hinc lectorẽ fallit impostor Calvinus. Non agit hinc Apostolus de legis iudicio, nec de iustificatione per legem; sed de iudicio Dei, & de iustificatione coram Deo. De iudicio Dei vide quoties

*Impostura Calviniana duplex.*

Verf. 2. in hoc capite loquatur. *Iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* Rursum:

Verf. 3. *Existimas, õ homo, quod effugies iudicium Dei?* Adhuc iterum: *In die ira & reuelationis iusti iudicij Dei.* Et adhuc semel: *In die quum iudicabit Deus occulta hominum.* Agit ergo Apostolus de iudicio Dei, non de iudicio legis. Quanquam enim semel dixit, *Qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur,* hoc tamen quoque ad Dei iudicium referendum est. *Per legem enim iudicari,* est Dei iudiciũ ex legis præscripto, quã Deus tulit, subire. Docet ergo Apostolus toto hoc



to hoc capite, omnes qui impiè agūt, & legē non seruant, seu scriptam in cordibus, seu scriptam in tabulis, à Deo grauitè iudicandos, cuius iudicium secundùm veritatem est, sine acceptione personarū, qui reddet vnicuique secundùm opera sua: quia tribulatio & angustia super omnem animam hominis operantis malū, & thesaurizant impij iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Docet similiter Apostolus toto hoc capite, non iustificationem ex lege, vt ait Calvinus, sed iustificationem coram Deo, quam hic ostendit sine bonis operibus nullam esse, sicuti in sequentibus docebit sine fide in Christum nullā quoque esse. Agit de iudicio Dei circa seruantes legem, non secus quàm de eodem circa transgressores legis. Propterea nō solūm impios & malè agentes à salute excludit propter iudicium Dei contra tales, sed etiā legem seruantes saluari & coronari docet ex eodem iudicio Dei erga tales. Quare quum dixisset, *Qui reddet vnicuique secundùm opera sua*, (quod haud dubiè ad Dei iudicium pertinet,) subiungit non solūm de impiorum tribulatione & angustia, sed (priori etiā loco) de bonorum operum retributione æterna: *ijs (inquit) qui secundùm patientiam seu perseuerantiam boni operis gloriam, honorem, & incorruptionem querunt, vitam æternam*. Non ergo disputat hīc Apostolus de iustificatione per legem, nec obseruationem legis ideo vrget, vt, si per legem iustificari quis velit, lex ab

Apostoli  
vera do-  
ctrina de  
iustifica-  
tione co-  
ram Deo.



eo impleri debeat, (vt callidè cōminiscitur Calvinus) sed agit de iustificatione coram Deo & in iudicio Dei, docetque ad hanc iustificationem *per seuerantiam boni operis requiri*: docet non auditores legis apud Deum, sed factores legis iustificari. Docet Iudæum corde circumcisum in spiritu laudem habere apud Deum. Observari debet contra Caluini versutias de salute & iustificatione in iudicio Dei & coram Deo Apostolum disputare. Quum negat Apostolus auditores legis iustos esse apud Deum, moxque addit factores legis iustificari; nonne luce clarius est, quòd apud Deum illos iustificari affirmat? Si apud Deum iustificantur, ergo Dei iudicio, non legis, iustificantur: ergo iustificatio illis tribuitur vera & absoluta, nō iustificatio legis: ergo denique non vrget Apostolus eos non posse per legem iustificari qui legem audiunt, nisi legem impleant; sed vrget Apostolus eos non posse apud Deum iustificari, nisi legē impleant, id est, omnino non posse iustificari sine legis obseruatione.

Nunc autē Calvinus planè ridiculam & puerorum cachinnis dignam facit Apostoli disputationem. Hanc enim illam esse fingit, *Factores legis iustificabuntur*, scilicet per legem, si illam impleant: sed legem nemo implet: ergo operum iustificatio nulla hīc statuitur, quia nulla talis inuenitur: hoc est dicere, ergo factores legis nunquam iustificabuntur; & falsum est quod Apostolus dixit, *factores legis*

Apostoli-  
ca doctri-  
na corru-  
ptio.



legis iustificari. Hunc à Caluino sensum Apostolo ascribi, verba eius proximè subsequen-  
 tia declarant. Nos verò, inquit, non negamus  
 prescribi in lege absolutam iustitiam: sed quia om-  
 nes transgressionis cōvincuntur, quarendam esse di-  
 citimus aliam iustitiam. Quin ex hoc loco argumen-  
 tari licet, neminem operibus iustificari. Si enim ij  
 soli qui legem implent, per legem iustificantur, se-  
 quitur, nullum iustificari, quia nullus reperitur qui  
 iactare queat legis complementum. An non hæc  
 pulchra est Caluini interpretatio, quæ Apo-  
 stolum mendacem facit, & eius, quod Apo-  
 stolus dixit, planè contrarium concludit?  
 Dixit Apostolus, factores legis iustificari. cōclu-  
 dit Calvinus, nullum factorem legis iustificari,  
 quia nullus facit legem. Hæc est impia & de-  
 restabilis textus Apostolici deprauatio; quæ  
 dum Apostoli totam disputationem aliò  
 transfert, vt de iudicio legis eum disputare  
 faciat, qui de iudicio Dei disputauit; & de  
 iustificatione legis eum agere fingat, qui de  
 iustificatione coram Deo egit; Apostolum  
 tandem mendacij arguat, & illud eum asse-  
 rere, quod fieri nō potest, concludat. Eadem  
 impietate hunc locum tractat in Institut.  
 lib. 3. cap. 17. num. 13. Quæ eius eo loco  
 disputatio, ex ijs quæ dicta sunt, deiecta  
 manet.

Caluina-  
 na corru-  
 ptio Apo-  
 stolum  
 mendacij  
 arguit.

Sed & impietas Caluiniana, qua legem à  
 nemine impleri audacissimè affirmat, vno  
 verbo ex ipso Paulo refelletur. Ait postea in

Lex im-  
 pleri po-  
 test.

E 5

hac



Rom. 13. hæc epistola Paulus: *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Ergo aut nemo vnquam dilexit proximum, aut aliquis legem impleuit. Nisi fortè & hîc quoque Apostolum mendaciar. quere Calvinus velit: quod ad illum Apostoli locum, vita comite, examinabitur.

Caluini vestigijs insitens Theodorus Beza, hæc Pauli verba ad aliquam iustitiæ partem operibus decidendam facere minimè permittit. Respondeo (inquit) hoc ipsum superesse quominus operibus decidas aliquam iustitiæ partem. quod tamen sophista (illum enim sibi aduersarium proponit, Catholicos hoc nomine designans) nusquam nisi in vno Christo inuenies: id est, vt istam iustitiæ adferas. Istam si habes, profer, & sanè iustus eris ex lege. Sed quum non habeas, (nisi fortè iustior es quàm Abraham, & Apostolus ipse, clamans se non esse sibi conscium, nec tamè in hoc iustificatum) aut tibi, miser sophista, cum tuis meritis, bullis, & indulgentijs pereundū est, aut amplectenda tibi iustitiæ ex fide & gratia, quæ iustitiæ absque lege tibi imputatâ stabilitat. Hæc ille. Sed huic hæretico nos respondemus:

Iustitiæ in vno Christo, quo sensu. Rom. 5. Rom. 8. Rom. 13. Tit. 3. 1. Cor. 1. Nos in vno Christo inuenimus iustitiæ, quia vnus Christus per dona gratiæ suæ, per charitatem Dei diffusam in cordibus nostris, per Spiritû dilectionis quæ accepimus, quæ dilectio implet legem, denique per regenerationem & renouationem Spiritus S. quem effudit in nos abunde, factus est nobis iustitiæ, sanctificatio, & redemptio. Afferimus ergo iustitiæ, eamque nostram, non quidè ex lege,



ex lege, id est, beneficio legis, aut ex doctrina legis, sed iustitiam legis, id est, quam lex præscribit, eamque ex fide & gratia Christi, quia ex fide illa incipit, & per gratiam & charitatem illa perficitur. Hanc ex Deo iustitiam habemus, & hanc proferimus: nec tamen iustiores sumus quam Abraham & Apostolus. Nam & Abraham ex operibus iustificatus est, nisi mentitur Iacobus; & Apostolus fate-  
Iacob. 2. Philip. 3.  
 tur inuenisse se iustitiam, non suam ex lege, id est, non suis solum viribus ex doctrina legis acquisitam, sed ex fide Christi, qua ex Deo est: videlicet quod iam esset noua creatura in Christo, non seru-  
Gal. 6. Rom. 6. Rom. 8.  
 uens ultra peccato, sed iustitia; nec ambulans secundam carnem, sed secundum spiritum, ut sic iustificatio legis impleretur in illo. Talem iustitiam legis se inuenisse & habuisse Apostolus profitetur. Quomodo autem idem Apostolus dicat, se nihil sibi conscium, in eo tamen iustificatum non fuisse, aut Abraham coram Deo ex operibus non esse iustificatum, infra suis locis, vita comite, explicabitur. Hanc iustitiam operum & obseruationis mandatorum Dei per fidem & gratiam Christi, aut tu, miser hæretice, habere & proferre debes, aut cum tota tua apprehendente sola fide, & imputatiua iustitia, (quam nec Abraham nec Apostolus vnquam agnouerunt) pereundum tibi certo erit.

\*Interim clara & perspicua manent præsentia Pauli verba: *Non auditores legis iusti sunt* apud

\*Apostoli doctrina de operum iustificatione magis explicatur.



apud Deum: id est, nō illi iusti sunt apud Deū qui credunt vera esse quæ lex dicit, tam iubendo facere quàm promittendo facientibus vitam & salutem (audire enim hoc loco, credere est) sed factores legis iustificabuntur: id est, qui faciunt legem, iusti sunt; iuxta illud

1. Ioan. 3. Ioannis: *Qui facit iustitiam, iustus est.* Iudæi (ad quos hæc verba pertinere ipsemet Beza fatetur) audiebāt quidē legē, & credebant illam, sed non faciebant, quod & Christus illis exprobrauit: *Nōne Moyses dedit vobis legē, & nemo ex vobis facit legem?* Contra illos ergo disputans Paulus, disertè dicit, *auditores legis non esse iustos apud Deum*, id est, solam fidem de præceptis aut promissionibus legis (lex enim non solū iubebat, sed & promittebat salutem ac vitam facientibus eam, dicens: *Qui fecerit ea homo, viuet in illis: & mandatum legis fuisse ad vitam*, id est, ad salutem consequendam institutum ac datū, Apostolus affirmat) neminem posse iustificare: quod tamen hæretici hodiè contra Apostolum docent. Nec ea negatione contentus Apostolus, qua solam fidem excludit, addit etiam pro operum iustitia affirmantem propositionem: *factores legis iustificabuntur*: id est, vt Augustinus optimè & solerter exponit, *iusti iustificabuntur*: id est, iam per fidem & gratiam Christi iustificati & iusti facti, faciendo legem magis iustificabuntur, & incrementum iustitiæ accipient. Probat ergo hic locus egregiè aliquā iustitiæ

De Spir.  
& liter.  
cap. 26.



Iustitiæ partem, eius videlicet incrementum, bonis operibus decidi. Nec sophistæ sed orthodoxi sunt (nisi etiam Augustinus sophista est) qui operum iustitiam ex his Apostoli verbis manifestè concludunt. Duo isti arietes (Calvinus & Beza) hunc locum lædere non potuerunt.

26. Nōne præputium illius in circumcisionem reputabitur?

Docet hoc loco Apostolus, Circumcisionē <sup>Sola fides non sufficit.</sup> quidem prodesse si legem obserues: id est, esse re Iudæum, & de illo pœculio Dei, cuius signum est circumcisio, multū prodest, si mandata legis obseruas. Sic baptismus & professio fidei Christianæ prodest, si legem & mandata Dei seruamus. Si autem præuaricatores legis sumus, circumcisio Iudæis præputium, & baptismus nobis gentilitas prophana facta est, id est, perinde cum illis & nobiscum agetur, ac si nec illi circumcisi nec nos baptizati essemus. Quinimo si præputium, vel Gentilis aliquis & infidelis, seruet legem, moraliter scilicet, & secundum substantiā actus moraliter boni, præputium illius in circumcisionē reputabitur, id est, censebitur ipso circumciso melior, non absolutè (quia fide caruit) sed in comparatione quadam, quatenus quoad opera præferendus est, & quatenus per illa opera condemnabit Iudæum non operantem, sicut Christus in Euangelio dixit: *Viri Luc. 11.*

Ninini &



Nimium surgent, & iudicabunt nationem hanc. Unde & Paulus hic subiunxit: Iudicabit id quod ex natura est praeputium legem consummans, re qui per literam & circumcisionem prauaricator legis es. Docet ergo & hic locus contra hereticos fidem aut professionem fidei absque legis diuinæ obseruatione bonisque operibus ad salutem non sufficere. Bonus Beza illud Apostoli, *τοι νομιον τελεσσα*, legē consummans, primum verit, si seruet legem; deinde exponit poni in conditione quod non affirmatur. Ne videlicet hinc colligat quispiam legem ab aliquo seruari posse. Sic primum textum corrumpit, ponendo in conditione, quod Apostolus affirmatiuè dixit: deinde ait ipsam conditionem non affirmari. Hæc est eius duplex hoc loco corruptela.

Beza duplex corruptela.

## 29. Circuncisio cordis in Spiritu, non in litera.

Iustitia inherens.

De Spir. & lit. cap. 8.

Locus notandus pro iustitia nobis inherenti, quam heretici hodie negant, imputatiuam substituendo. Circuncisionem enim cordis (ait August.) intelligit Apostolus puram ab omni illicita concupiscentia voluntatem, que non sit litera docente & sonante, sed Spiritu adiuuante atque sanante. Et propter hanc iustitiam inherentem, siue propter hanc internam cordis circuncisionem, addit Apostolus de Iudæo in abscondito, id est, cuius pietas & iustitia habet radices in corde defixas, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo: docens videlicet, Deum laudare



laudare factores legis, non professores; & à Deo approbari veram & realem cordis puritatem, non permanentem cordis impuritatem cum imputata aliqua extrinsecus iustitia. Talis imputatio circumcissionem cordis in Spiritu penitus tollit, quia permanentem impuritatem disertè ponit.

### Argumentum Cap. III.

**V**ult docere, Iudæos, etsi quasdam habeant prærogativas, vt S. Scripturam, circumcissionem, &c. tamen in statu peccati & negotio iustificationis pares esse Gentilibus, & æquè indigere gratia Christi: ideòque vanam esse eorum iactationem de operibus legis. Duas autem initio proponit quæstiones, vnã de Iudæorum præ cæteris Gentibus prærogatiua, de circumcissione alteram: quarum primam hoc cap. soluit, secundam cap. 4.

20. *Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.*

**I**n huius loci tractatione mirè satagunt hæretici, vt omnem ex bonis operibus coram Deo iustitiam longè latèque exterminent, suamque solam iustificantem fidem substituant. Calvinus satis habès operosè ostèdere de operibus legis moralibus, non de ceremonijs, Paulum hìc loqui, quare aut quomodo legis